…Sobieski.

…Poloniae Rex.

Bierzanowski Stanislai Jos: Oriens Byzantinus in Austria et Pannonia triumphatus —

ORIENS
BYZANTINVS,
in Austria, & Pannonia
TRIUMPHATUS,
SERENISSIMO, & INVICTISSIMO
PRINCIPI,
JOANNI III.
DEI Gratiâ,
REGI POLONIARVM,
Magno DVCI Lithuaniæ,
Russiæ, Prussiæ, Mazouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Smolensciæ, Kiiouiæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Czerniechouiæq; &c. &c.
Pannonico, Scythico, Otthomannico,
VICTORI, & TRIVMPHATORI,
ob res, pro Orbe Christiano,
fortiter, & feliciter gestas,
augustissimi magnificentiâ triumphi,
in Trophæum immortale,
A
M. STANISLAO JOSEPHO BIEZANOWSKI, Leopol:
in Alma Vniuersitate Cracouiensi,
Philosophiæ Doctore, Collega Minore, Ordinario Pöeseos Professore,
Opere Panegyrico
ERECTVS.
Anno Salutis, M. DC. LXXX III.

CRACOVIÆ, Typis VNIVERSITATIS.



Vicisti Geticas acies, fortissime Regum;
Iamq; Tuo clarum Marte, triumphat opus.
Sub CLYPEO, *res tota Tuo feliciter acta;*
Austria, nè caderes, hic Tibi murus erat.
Amplius Odrysium, gens Lechica vincat vt hostem;
Et victo palmas ex Oriente ferat;
Spes bona. qui Regem fecit victrice IOANNEM,
Vincet in hoc SCVTO, *barbara castra* DEVS.

SERENISSIME, & INVICTISSIME
REX,
VICTOR & TRIVMPHATOR
GLORIOSISSIME,
DOMINE, DOMINE CLEMENTISSIME.

TRiumphale in publica lætitia carmen, Victori Gradiuo Tuo, quæ cecinit; Regiæ beneficentiæ Tuæ Alumna Clio mea, formidandi operis Maiestati succumbens; ad Augustissimæ Purpuræ Tuæ fimbriam, vnà mecum procumbit. Grande illi negotium fueras, rerum gestarũ immensitate quadam, & propè inaudito excessu; sed quid ageret, in tanto publicæ voluptatis delicio, & inter tot Christiani Orbis hilaria? vbi gaudiorum violentia dulcis, & mellita tyrannis, manus silentio iniiciens; etiam cor, & viscera rumpit. Canere de Te, ô REX! ingeniorum nonnisi Regibus, & purpurato ebori licet; si tamen ad Victoriam quoq; Tuam pertinet, maiestate operum Tuorũ, etiam summa ingenia vinci: reꝰquidem ausus maximi, quod augustissimi paludamenti Tui oram, plectro tetigerim; malo tamen inter captiuos Tuos duci, vinciriq; magnitudine gloriæ Tuæ; quàm obrutæ silentio gratiæ conuinci. Venisti ad angustias carminis mei, ô Regũ bellicosissime! dum Te numeri mei coarctant; quem Orbis Vniuersus non capit, quem sola immortalitas exæquat; verùm Tu excessisti numeros omnes, comprehendiq; carmine non potes; qui Orientem vna manu, alterâ Occidentem prehendis; non ambitu potentiæ, sed complexu virtutis. Quid enim vspiã Triumpho Tuo par, & in rebus humanis augustius? cùm

viceris propè in puncto, tot seculorum negotium; an prodigium? triumphato in Austria, & Pannonia Oriente: cuius barbara vota mensuram omnem excesserant; hausta tandem immani hiatu suo, & pudendo dedecore sepulta; cùm à pugnacissima dextera Tua, non vno pollice amisso; tantùs ille ingemuit, & siluit Gigas. Apparatu ille maximo hoc egerat; vt ad SCUTUM Tuum allisus, maiori fragore caderet; nosceretur q; ex fragmentis suis, quàm portentosus fuerit; nec Te Orbi exhiberet, nisi in tanto opere visendum; triumpharet q; non solitum, nisi ex omniũ Victore; qui supra omnes Regum coronas elatus, Regia manu Tua cecidit infra omnes. Cùm ergo Bellatorum fortissimus in acie, propè ad stuporem fueris; vt sis Regum Augustissimus in triumpho; splendor illi & magnificentia, vsq; ad Orbis attoniti excessum debetur: non scribentium, canentiumuè de Te, tota sui euisceratione; sed ex Te ipso maximè, qui purpura dicentium es; totaq; triumphi Tui, & calami eruditi Maiestas; tota, & vnica scribentium gemma. Quod si & gemma, & medulla cordium, & amor vbiq; maximus es; Regiam certè Vniuersitatem Tuã, in exprimendis ex desideratissimo aduentu Tuo delicijs suis, etiam verborum gemmæ deficiunt: ne tamen vacua, coram Principe suo appareat; vmbram gestorum Tuorum, à Vate Tuo, sine lumine visûs expressam; tersissimæ cordis Tui pupillæ, & luci publicæ sistit. altoq; gemitu Regum Regi vnà mecum supplicat; vt Triumphum hunc Tuum, faustũ bono publico, & perennem esse velit: vt victrices coronas Tuas, non interrupto Victoriarũ nexu adaugeat; vt deniq; Augustum Sanguinem Tuum, continua serie, in Throno Lechico, iubeat esse coronatum.

Ita precatur, & vouet,

SERENISSIMÆ, & INVICTISSIMÆ MAIESTATIS TUÆ,

Fidelis subditus, & seruus humillimus,

M. STANISLAVS IOSEPHVS BIEŻANOWSKI,

Philosophiæ Doctor, Collega Minor, Ordinarius Poëseos Professor.

ORIENS BYZANTINVS,

in Austria, & Pannonia TRIUMPHATUS.

IMmanes Asiæ vires, roburq́; stupendum
Barbarici fastus, motas Orienteque toto
Bistonias acies, & sæui classica Ponti,
Martis inaudito Lechici deuicta triumpho,
Orbis prodigio canimus. nam secula poscunt
Hoc opus augustum, quo non augustius vllum,
Sarmatica virtute stetit; dùm Bosphorus vno,
Thrax, Bessusque gemens, & ab Indis vltimus axis,
Concidit in puncto; rubuitque Propontis in Istro,
Dedecus hêu confessa suum, cladesque pudendas!
Sed caret exemplo res hæc, totamque videtur
Excessisse fidem; non suffecturus in æuum,
Quam tentat Vatis genius; formidine iusta
Quam tremulum detrectat ebur: Tu victor ab alto,
Vincere qui dederas, ne rerum pondere vincar,
Tu vis tota mihi, Tu spiritus entheus esto.
Helluo Regnorum, diductis faucibus ingens
Bellua, portentumq́; graui sub mole laborans,
Orbis prædo, Gigasq́; triplex, & sæua Charybdis
Absorpti rictu valido, dudùmque gementis
Imperii, trabeæ quo purpura fulsit Eoæ,
Biston atrox, iurata sitis, nostrique cruoris
Tot iam diluuiis, necdum satiata vorago,
Opportuna suo captans momenta furori;
Bustaque vespillo, sitiensque cadauera vultur;
Postquam res Lechiæ, per tot dispendia fractas

 Roxo-

Roxolano iunctus ſceleri, turbæque rebelli,
Prædatrice manu, contra fas omne tuliſſet;
Podoliæ lætus, Camenecique ruinis,
Luxurians animo, tantamque effuſus in offam;
Perq; Boriſthenicas gentes, vicinaque Ponto
Æquora terrarum, ſpumans victricibus armis;
Orbem Chriſtiadûm ſpe tota, viſcere toto
Ambituq; petens; quicquid ſupereſſet in vnam
Cedat vt ingluuiem, voto decreuit iniquo,
Byzanti ſolio, furias, oeſtrumq; locutus;
Nec iam ferre valens, nec iam capienſq; ſeipſum,
Diſtentuſq; truci rabie. quid parcimus? inquit,
Gentibus exoſis. cur ius non omne per Orbem,
Otthomannus habet vertex? cûi maxima rerum
Portio conceſſit, veteriſq; potentia Romæ,
Parſq; triplex mundi, ſurgens cum ſole, cadenſq;.
Infima Chriſtiadûm, tantumne mapalia poſſunt?
Anguſtæ, vileſq; animæ; quas clauſit in arcto,
Sordidus Europæ carcer, terræque pugillus;
Neſciat vt Rhodopen noſtram, nec culmen adoret,
Tot formidatum populis, tot faſcibus auctum,
Gens deſpecta mihi, trabeæ vix fimbria noſtræ?
Si Lybicos, Mauroſq; ſinus, ſi Perſidos oras,
Euphratem, Gangemq; licet, Nilumq;, Tygrimq;
Ponè ſequi, totoq; mari Neptunia Regna
Imperiis frenare meis? ſupereſſe quis ehêu
Relliquias Orbis, tantillaq; regna, quieto
Pectore ſuſtineat? paucos cum Cæſare Reges
Quis ferat? occiduumq; genu, quod ſupplice cultu,
Tarpeios potiùs colles, exeſaq; Romæ
Nomina ſuſpiciat, trabeam contemnat Eoam,
Nec mea ſceptrorum curet faſtigia, nec me.
Quin ruit infamis populi, Sacriſque Sceleſtis
Polluti, toties laſſatus cædibus enſis,

Perniciem

Perniciem cunctis, extremaq; fata daturus.
Sic lubet, & magno sic iam Machomete volente,
Sanguineo decreta stylo, sententia lata est,
Natio dispereat IESV. Vezyrius inde,
Fax belli, fomes Scelerum, tantiq; minister
Consilii, funesta probans oracula, totus
Cæsaris ad nutum, Stygiis afflatibus vrget
Acrius immanes furias; sulfurq; nefastis
Ignibus affundens, fouet impia vota Tyranni,
Trux animo, famæ sitiens, & nominis alti;
Iamq; triumphatum reputans, actumq; quod optat,
Christiadûm gentes vna ceruice peremptas,
Et vinctos post terga Duces, cùm somniat. ecce
Pannonicum postquam latè succenderat Orbem,
Æthnæas iaculata faces, Vulcanaq; passim
Flamina succendens, crinitaq; fontibus hydris,
Impia Tisiphone, Thracum se finibus infert;
Iamq; Palatinas ædes, Capitolia sæua,
Cæsaris Augustal dirum tristissima tecta
Crudelis solii, feralis larua subintrans;
Omnia Cocyti funalibus vrit, & intùs
Musulmana coquit lethæis viscera tædis.
Maxima Vezyro, sed vis est subdita flammæ,
Cyclopumq; focis, Sicania tota, sub vno
Clausa sinu, visa est sæuis erumpere fibris,
Dùm monstrum furiale, trucem sic inquit ad aurem.
Tolle moras, arma populos, distringe Gradiuum;
Hoc age cordatus, quod magna mente reuoluis.
Classica rauca sonent, gentes à cardine motas
Ocyùs & vires, ignotaq; nomina coge,
Ad tanti curas operis. victricibus armis
Crede mihi, gens ista cadet; gemet Albis, & Ister,
Atq; Alemannus apex, Latiiq; infirma potestas,
Et quicquid Romana colit delubra, mitrasque
Ad tua casuras subsellia. spebus ab altis

Plena triumphorum te poſcit gloria; quando
Inuitat validos auſus, occaſio rerum
Ipſa gerendarum. me ſic vrgente, videſne
Auſtriacos faſces, & ſpretæ iuſſa Viennæ,
Hunnus vt excutiens, iam per tot bella fatigat
Cæſareas Aquilas; animis hoſtilibus inſtans,
Miſceat vt rabidis Alemannica regna procellis;
Ritibus hæc aduerſa ſuis quod nôrit, & altùm
Oderit, extremamq; pati magis optet Erinnym;
Auſtriaco ſubducta iugo quàm ſubdere colla.
Hunc ego Pannonicas acies, vrbeſq; viroſq;,
Et coniuratum quicquid formidat in armis
Auſtria, Biſtonio faciam ſubmittere ſceptro.
Tu baſis, & cardo rerum, tu Conſus, & Atlas,
Ingentis belli; ſed tu quoque Victor, & Orbis
Chriſtiadûm ſuprema dies. ſic fata, ſuperbam
Auxit in immenſùm rabiem, veſanaque corda
In Liparam vertit; cêu cùm Vulcanius ardor,
Corripit Hercinii nemoris denſiſſima latè
Robora, Syluanumq; domos, Satyroſque fugaces,
Ignibus exurens validis, flammaque voraci
Arboreas populatur opes; & flamine paſſim
Sæuit inextincto; dùm triſtibus omnia buſtis
Exæquet, cinerumq; ſitu ſqualiente recondat.
Sic Oriens arſit. ſed non minor ignis ad Auſtrum,
Per coniuratas acies, atque Hunnica Caſtra
Motibus hæreticis creuit. vis illa rebellis,
Per varias agitata vices, ſuccenſa remotæ
Proh dolor inſtinctu trabeæ; techniſque doloſis,
Æreque non modico, tandem ſe fœdere ſpurco
Polluit; & ſcelerum veniens ad inane profundi,
Impia Threiicio ſubmiſit colla tyranno.
Prô ſuperi! quàm dulce nefas, quàm perdita ſpes eſt
Mentibus emotis! quamuis res maxima fundo

Origo belli in Pannonia, & Auſtria Othomanici.

Velli-

Vellitur; in præceps quamuis dùm cuncta feruntur,
Lucidus vmbroso se misceat axis Auerno;
Omnia confundi præstat, vastoque perire
Excidio, totoque rapi iam pondere; quàm non
Vincere vecordes animos, præfractaque colla
Obtentu fidei; sibi quam cortina malorum
Prætendit; vacuumq; gerens sine Numine pectus,
Mentitis zelare sacris, pro numine vero
Hêu falso simulat! dùm iungit Pelion Ossæ,
Cælitùs emotura Iouem, Titania pubes.
Sic cecidit prætensa fides, sub nube malorum
Arcana latitans. sic Zrini, Frangepanique,
Nadazdique suo cecidit miserabile casu,
Orbis spectaclûm; donec res tota, fidesque
Funditus euersa est; vice dùm successit iniqua
Thrax Machometanus, sæuus pro Cæsare Biston.
Hoc egêre diù, mox perfecêre rebelles
Principe Tekelio; qui claro sanguine cretus,
Diues opum, bellaxque animo, florensque iuuentâ,
Ausibus immodicis suppar; dum totus adhæret
Partibus hæreticis, funestæ prælia scenæ,
Sacrilegamque manum, magnis conatibus vrgens,
Pannonas Æmoniis fecit seruire lupatis.
Ergò Byzanti postquam res sede peracta est,
Thracius imploratus apex; pactumque nefandi
Fœderis, instinctu Stygio, nisuque pudendo,
Conclusum cecinêre tubæ. Mars totus in armis
Danubio vicinus adest; quem Bosphorus, & quem
Pannoniæ iunxêre plagæ. Cassouia grandi
Cingitur obsidio, mox cedit viribus impar,
Tekeliosque a usus, successibus vndique lætis
Prima beat. munita dein loca Marte propinquo
In sortem cessêre parem, velut icta trisulco
Fulmine, Christiadûm gemitu, summoque dolore.

Emericus Tekeli rebellium in Vngaria Dux.

Turcarum Imperatoris auxilia poscit.

Obsidet Cassouiam, & capit.

Castella, & munitiones alias recipit.

Præ cūctis, quibus hêu ! Regum celsissimus, & Mars
Ipse triumphator, Lechici pupilla IOANNES
Indoluit sceptri, tanta impendente ruina ;
Sollicitus Magno pro Cæsare, proque tot ehêu
Gentibus electis ! quas intima viscera claudunt
Europæ, hostilisque sibi quas destinat ensis.
Hic ingens animi Princeps, sensuque profundus,
Altiùs vt tantos licuit discernere casus,
Atque secuturam rerum faciem, sine fine,
Mensuraque mali ; statuit cordatus Achilles
In rem Christiadûm fieri ; spiramine toto
Prodigat extremam donec cum sanguine guttam.
Intereà Mauors Geticus, qui iunxerat Hebrum
Apparatus ingens belli in Oriente.
Danubio; tantùmque manu fecisse potenti,
Pannonas, & Thracas, coniunctis viderat armis;
Lætus, & Hunniacis anno vergente ruinis,
Spes auidas, bellique sitim feruentiùs vrgens,
Mille calet facibus ; tollit fortuna suàptè
Extremo fastu tumidum, totoque calentem
Ad noua Vesuuio, coeptæ molimina causæ,
Fascibus Æmoniis spondens, cum Cæsare quicquid
Austria, Germanæque Oræ, diffusaque latè
Regna tenent, nec spem definit & vltima Calpe.
Armantur populi, bellorum detonat ingens
Toto Oriente fragor. Gentes à Finibus Orbis
Mille tubis vox vna ciet ; procusaque ferro
Secula, per Siculas incudes, mille per ictus,
Centimanusque Sterops, & Mulciber ipse laborat.
Quicquid Arabs, Lydusque colit, Tyriusque, Cilixq;
Quicquid Erythræum littus, Phariasque Canopi,
Et Lybicas arces, Cancri Tropicumque calentis
Accolit, & Mauro quicquid torquetur ab æstu :
Armenias vrbes Asiæ lætissima Tempe,
Argiuosque lares, & Graiûm Cycladas, & quod
Helle-

Hellespontiacam Thetidem Pontumque fatigat,
Strymona, Threiciumque bibit de rupibus Hebrum,
Mœoticaque Getas quicquid concludit arena,
Vicinosque Hunnis Dacas, volucresque Gelonos,
Odrysii iussu solii, quà Bosphorus instat
Confluit ad tanti iurata negotia Martis,
Terrarum gemitu, Pelagiq; frementibus vndis.
Vincula Neptuno, cêu cum Mars Persicus olim,
Immanesque minas terris, & castra stupenda,
Inferret Marathoniacis in prælia campis,
Siccaretque vndas, & rictu flumina vasto,
Hellados ad cladem. donec cordatior illo
Vis Argiua, trucem deduxit ad vltima fastum,
Ingentem numero, modica virtute triumphans.
Æolias hyemes sic impendisse Gradiuo,
Tot lustris voluit Thracum Rex Barbarus, chêu
Christiadûm clades agitans, bustumque perenne
Tot simul & populis minitatus, & vrbibus; ipse
Fabula mox Orbis, probrosaque scena futurus.
Arma per Europam, sed nec minor excitat ardor,
Cæsaris in partes. poscit res ardua, totas
Bellonæ vires. Alemannica regna periclis
Mille patent. Lechicumq; latus vicina perurunt
Damna, per Hunniacos tantùm surgentia motus.
Austria prima gemit, strictos propè computat enses;
Partibus Occiduis feruet res bellica passim;
Hosti sed valido non suffectura, molestum
Nunc sumit, nunc ponit opus; dùm fluctuat Ister,
Carpathiasque sonat grandis formido per Alpes.
Maximus ipse Pater, Sacrorum gloria Princeps,
In terris cæleste genus, mens ipsa Tonantis,
Nominis Innocui Vaticanus Pastor, & Atlas,
Romuleæ speculæ summo de culmine rerum,
Pro cunctis vigilans, animo dolet, excubat, instat,

Orbis Christiani debello contra Turcas curæ solicitæ.

Innocentius XI. Pont. Max Principes Christianos, ad sacrum foedus, armorum, contra Turcas excitat.

Viſcera dilatat pietatis, & omnibus vnus
Sufficit ad curas Orbis, Martemque propinquum,
Grande penu, diteſque parans, ad prælia gazas.
Auſonas, Hiſpanos, Gallos, ad vincula belli
Germanos, Boios, Venetos, Heroaque magnæ
Pectora Sarmatiæ, Roſſique Boriſthenis audax
Clima, per Arctoas ſtimulis ardentibus oras,
Ære mouetque ſacro. longinqua palatia Regum,
Auguſtoſque lares, & quicquid Curia Princeps
Vertice Chriſtiadûm, Regali murice veſtit,
Obteſtatur, amore trahit, ſuaſuque paterno,
Legatis paſſim Cyneæ ſuadentibus ore;
Contra barbaricas acies, vt vincula nectant
Electas animas, Heroica corda virorum.
Prima Monarcharum Europæ, AVGVSTISSIME CÆSAR
Maieſtas LEOPOLDE Tibi, prout altiùs iuit,
Tot pariter ſubnixa thronis, tot regna gubernans;
Publica curarum tempeſtas, ſic Tibi verſat,
Imperiale magis, pro tanto foedere pectus.
Te pietas, zeluſque ſacer, puruſque fidei
Romanæ candor, ſemperque inimica tot hydris
Hæreticis virtus, etiam diſcrimine ſummo,
Relligionis opus, iubet immortalibus actis,
Inuictaque tenere manu; Titania quamuis
Machina bellorum, ſæuo ruat vndique motu;
Res, & cauſa Dei, ſatis eſt, ſi illæſa triumphet.
Huc Germana cies in bellum robora CÆSAR,
Hùc vicina tuo coniungis foedera Marti;
Conſiliis Regni, dùm priſca Senacula pandit
REX Lechiæ, Regumq; ſalus, & vita IOANNES.
Nempè coronatum caput hoc, ſed mille coronis
Altius, vt rerum ſublimia concipit, atque
Cautiùs aſſequitur; ſic & prudentiùs ante
Prouidet arcanis Regnorum; iamque coactis

Auguſtiſſimi Imperatoris Leopoldi ad bellum Otthomannicum apparatus.

Sereniſſimus Ioannes III. Poloniæ Rex Comitia Varſauiæ indicit.

Ordini-

Ordinibus Regni, de summa Principe rerum,
Et de Bistonidûm deliberat hoste Gradiuo;
Splendida Cæsarei quò iam Legatio sceptri,
Austriacos sensus, & magni iura negotî,
Pectoris excelsi Legato Heroe ferebat.
Ille graues curas, vimq; in commune timendam,
Nomine CÆSAREO, dictis exponit amicis,
Principe Sarmatico coram, facieque Senatus.
Fulmen vt Odrysium, turba poscente rebelli,
Excidium lethale ferat, totique minetur
Imperio, Christique sacram decernat in Orbe
Non superesse fidem, iuratus hic omnibus hostis:
Contra quem nisi iuncta manus consurgat, & vnùm
Spiret inextinctus pro Christi nomine zelus;
Romanus succumbat apex, omnisque necesse est
Proh dolor! arctetur Geticis Europa catenis.
Res igitur quos vna ligat, confoederet vna
Mens quoq; bellandi, paribus quassanda periclis.
Si consanguinei fasces, trabeæque maritæ,
Hos toties iunxêre thronos; ne sanguinis vnum
Sorbeat immane, & fatis consumat iniquis,
Mars communis agat. sic Tu fortissime Regum
Annue; sic augusta Tuæ sententia mentis,
Et tecum statuat, generosus in omnibus ardor
Ad lituos, contra funesta Propontidos arma,
Thermodoontiacasque minas, tonitruq; paratum
Cæsareis, Lechicisque Aquilis. exceperat alto
Cordis id arcano, quód iam decreuerat olim
Inuictus Lechiæ Princeps, fecitque secundis
Rem peragi votis. quæ iam molimine grandi,
Fecerat in Patriis Lechiæ succedere rostris,
Maximus Orator Latii, Sedisque Supremæ,
Et Palauicino magnus de sanguine Princeps;
Quem gemmis Ephesus mitratis, quem sua virtus,

Legatus Cæsaris Leopoldi ad Comitia Regni in Poloniam venit.

Armorum vnionem contra Turcas promouet.

Opicius Palauicini Archiepiscopus Ephesinus Nuntius Apostolicus, sacrum belli fœdus contra Otthomannos, se

liciter conclu-dit.

Mille coronauit zelo feruente Pyropis;
Foederis vt tanti ſignacula, gemmeus ipſe
Firmaret, roſeoque ſuæ gauderet in oſtro,
Fructibus eximiis curæ; Germania poſtquam
Sarmaticis coniuncta ſtetit feliciter armis.
Nec latuit Rhodopen, Muſulmanoſque Gigantes,
Orbis Hyperborei fidus cum Cæſare nexus,
Tot licet occultas Sinonum, Danaumq; per artes,
Creditus abrumpi facilis; ſed mucro doloſus,
Obryzo quamuis chalybem feciſſet in auro,
Profuit hâud quidquam; niſi quod transiſſet ad ipſos,
Vſque Laertiadas, præcordia dira reuelans.
Boſphorus inde furit, res conſcia lancinat intùs
Immanem genium. vires intendit, & Iſtri
Reſpicit ad ripas, quò iam Mars totus anhelat.
Vt campis ceſſêre niues glacialibus; vtque
Belligeri venêre dies; queîs florida vernant
Arua per Hunniacos tractus. huc deſtinat omne
Robur, & inſolita Caſtrorum mole tremendus,
Et grauis ipſe ſibi, toto ruit impete Biſton,
Monſtra cateruarum, portentoſaſque phalanges,
Armorum ponduſq; trahens; quod neſciit vllam
Menſuram, ſeriemq; ſui; ditiſſima poſtquam
Hauſit inexhauſto tumor hic æraria ſumptu;
Vellere qui fundo voluit cum gentibus Orbem.
Ipſe minax Aſiæ terror, fatalis ad Ortum
Regnorum Scopulus, trabeæ raptorq; Pelaſgæ,
Imperii Thracum Byzanti ſede relicta,
Finitimis metuendus adeſt. vis maxima circùm
Voluitur armati populi. mirata ſeipſam
Ferrea grando ſonat. nubes denſantur, & inſtant,
Nubibus alternis, glomeratque procella procellam;
Augmentis tandemque ſuis Exercitus ingens,
Prodigiale malum Germanis imminet Oris.

Turcarum Imperator cum Exercitu ad fines Pannoniæ conſiſtit.

Inde

Inde triumphorum iam ſpes, & turgida vota,
Deſpectæque vices bellorum, Chriſtiadûmque
Conclamata ſalus; Reges cum Cæſare victi,
Totaque momento fatorum ſcena peracta;
Arcanos Cæli ſenſus, ex mente Getarum,
Hêu nimium ſtolido, ſic diſponente Tyranno!
Vezyro dùm iuſſa daret Mauortia, ſpebus
Immodicis, animoq; tumens. huc venimus inquit,
Faſcibus Occiduis, quos paruæ clauſtra Viennæ,
Infami cauea retinent, ſeruile daturi
Nomen, & imperii frenum; nè Principe quidquam
Celſiùs Æmonio, terrarum ſceptra gubernet.
Tu mens propoſiti, tu portio maxima noſtri,
Conſiliis agitata tuis, quæ cœpimus arma,
Arma tot ex populis, & tantis viribus aucta,
Fac tanta virtute regas, & robore tanto;
Quo mihi iam per te, tot ſucceſſêre triumphi.
Maximus hic reſtat; quo ni mea ſceptra corones;
Tu fracta ceruice lues, ſpectante quod Orbe
Motibus immenſis agimus. vox Cæſaris, alto
Finiit vt Solio, tanti mandata Gradiui:
Vezyro ius omne datum. mouet ille ſtupendas
Cum caſtris acies. victricia cogitat, vrget
Cæſaris Imperium, poſitoſque in cardine tanto
Exequitur iuſſus. iam Thracia claſſica latè
Pannonicis ſonuêre plagis. iam pontibus Iſter
Ingemuit, iam colla dedit calcata Tybiſcus.
Ignoto quæſita ſolo, iam bellua anhelat
Millenis onerata iugis, rictuque per auras
Inſolito graue pondus agit. ſtupor omnia complet,
Perculſiſque cadit, dubiæ ſpes tota ſalutis.
Auſtria ſed tantis quamuis terroribus icta,
Magnanimos auſus, ſacræque negotia cauſæ,
Non ideò languente metu, curaque relinquit;

Magnus Vezyrus cum in gẽtibus Turcarũ copiis verſus Auſtriã mouet.

 Caſtra

Carolus Dux Lotharingiæ, Cæſarei Exercitus Dux Generaliſſimus, hoſti occurrit

Caſtra ſed oppoſitis, ducens in prælia Caſtris,
Cæſareas acies, Germanaque robora lectis
Explicat agminibus. belli cordatus Achilles,
Auſtriaca pro parte vices, regimenque ſupremum,
Dux Lotharingus habet. nimirum grandibus ille
Emenſus dudùm meritis, tot luſtra, tot annos
Inuictus, conſtanſque animo, cautuſque tot actis
Nouerat Odryſii Martis, geniumq; modumq;
Militiæ carus, bellis nutritus, & indè
Auguſtis dignus thalamis, pro Cæſare Ductor.
Ille Getas contra pugnax, & ſæpè cruentis
Decutiens galeis, criſtas Orientis ad Iſtrum;
Nunc quoque fulminei ſpirans incendia cordis,
Acer in hoſtiles cuneos, & Thracibus ibat
In ſcopulum; non Marte pari, nec viribus æquis;
Sed non confuſæ virtutis robore ſummo.
Iamq; Equitum validæ, poſtquam peditumq; cohortes,
Armorumque graues, tormentorumq; lacerti,
Totaq; caſtrorum ſeries inſtructa ſtetiſſet:
Numen vt æternum, Sacris cum ſupplice voto
Ritibus imploraſſe datum. cæleſteque pignus
Bellaces animas, per nutrimenta ſalutis
Diuina firmauit ope. conceſſaque cunctis
Pro Cruce, proq; fide pugnantibus omnis ab alto
Spes veniæ; benedicta manus quam Præſule magno,
Romana de ſede tulit. felicibus inde
Auſpiciis motum; quò Biſtonas Hunnica tellus,
Senſerat inſtantes acie, Caſtriſque propinquos.
Hic varia primùm fortuna ſæpiùs actum,
Succeſſêre vices dubiæ, ponteſque negati,
Inſeſſæque viæ. conflictibus vndique iuſtis
Præluſum, ſpatiumque datum terroribus ingens;
Turca ferox donec tota compage ſtupendi
Agminis, inſolitas per tot campeſtria turmas
Funderet, innumeris legionibus Orbe coactis.

Exercitus Cæſareus benedicitur, & gratiis Apoſtolicis donatur.

Ac velut

Ac velut Oceani quoties immania ſurgunt
Flamina ventorum, Borea certante, Notoque,
Emotis fundo, rurſumq; cadentibus vndis,
Sæua procelloſi vis turbinis omnia miſcet;
Nereidumq; domos, præruptaq; littora vincens,
Tempeſtate graui campos abſorbet, & vrbes.
Hâud aliter Geticus toto velut impete Mauors
Incubuit, fuditque ſuas in prælia vires,
Fluctiuaga cêu mole ruens. nec tota furentem
Auſtria ſuſtinuit; ſed rerum diſpare voto
Cenſuit, alternâq; morâ, dextrâq; ferendum
Hactenùs inuicta; dum motis Sarmata tandem,
Expectata diù conſortia iungeret armis.
Feruebant ſed iam Lechicæ præcordia Gentis;
Armorum natiuus amor, ſpiramine vaſto
Heroas mentes tantò feruentius vſſit;
Quantò cauſa Dei potiòr, fideiq; tuendæ;
Quam Pharus, & ſtimulus Martis, Rex ipſe IOANNES,
Prætulit auguſtis manibus; cêu flamen ab alto
Diuinas agitans curas, Zeloq; caleſcens;
Vt belli generoſa ſitis, ſuccenderet omnes.
Prima LVBOMIRSCI virtus, ardoribus iſtis
Incaluit, ſenſitq; faces in pectus adactas;
Pergama cêu cuperet Pyrrhus, vel Scipio fulmen
In Libyam, Pœnoſq; ferens, mox ſpicula cordis
Torqueret, gladios acuens; vt ſanguinis imbres
Biſtonia ceruice pluant. ſic Marte ſecundo
Præuolat, Heroumq; manum lectiſſimus ipſe
Ducit, in Odryſias cædes, & vulnera mille.
Præceſsêre viri, quorum per ſecula viuet
Immortale decus; fieri quod prima Gradiuo
Victima lætati, dederint ad claſſica nomen;
Germanaſq; acies primi ſocialibus armis
Tentârint iunxiſſe, malo iam tramite belli

Hieronymus Comes in Wiſnicz Lubomirſki, S. R. I. Princeps, Marſchalcus Curiæ Regni, cum Legionibus Polonis in Auſtriam mouet.

Latiùs

Latiùs effuſo, cinctâq; gemente Viennâ.
Nempè velut tonitru, quo vis denſiſſima terras
Fulminat ex altò, Iouis indignante miniſtra,
Præcipitat mortem iaculis, flammaſq; minaces
Nube rotans grauidâ; quò ſe violentiùs infert
Omnia comminuit; feralia buſta, focoſq;
Accendens Erebo ſimiles. ſic fulmen Auerni
Vezyrus furiis agitatus, & omnia paſſim
Comminuens, frendente minax ruit agmine totus,
Hæreat in ſola donec, ſpumetq; Vienna.

Magnus Turcarum Vezyrus, cum ingenti Exercitu Viennam obſidet

Vrbs antiqua, potens ſceptris, animoſa viriſq;,
Flauia Romanæ Victricia nomina ſtirpis,
Cui priſcum fecêre decus. natura, manuſq;
Robur ab arte dedit; quò murus Aheneus eſſet
Auſtriadûm trabeæ. ripis ingentibus altos
Danubio cingente ſinus; totieſq; fluentis
Vortice diſtractis variò, ſectiſq; viciſſim;
Vt fluuius decertet aquis, hoſtemq; moretur.
Pars Vrbis ſed quam poſuit campeſtribus aruis
Conditio, geniuſq; loci, firmiſſima ſurgit
Contrà vim Geticam; tot propugnacula foſſis
Loricis, valloq; gerens, & ceſpite vaſto,
Sumptibus Auſtriacis magno molimine ducta.
Turcarum ingentes hîc conſedêre phalanges,
Caſtraq; Biſtonidum Xerxeis æmula caſtris,
Immenſos tractus terrarum, grandeq; viſu
Vnà cùm Scythicis ſpatium tenuêre moloſſis;
Cingitur vrbs, arctoq; tremit diſcrimine rerum.
Auſtria tota, Getis latè populantibus eheu
Fumat, & Iliacas circumſpicit vndiq; flammas.
Mox operæ feruent, oppugnandiq; parantur,
Artes, & moles variæ; ſêu grandine tota
Mœnibus inſtandum; ſêu fors per viſcera terræ
Effoſſis latebris, occulto Marte petendi

Circu-

Circuitus; nitrata quibus se machina fundo
Inferat, horrendisq; solo mugitibus instet.
Ergo balistis agitur prægrandibus, vrbem
Vndiq; terrifico vis tormentaria quassat,
Et lacerat tonitru. volat implacabile ferrum,
Sulphureis ponduśq; globis. Styx ipsa cauernis
Mille per anfractus reboat. voluuntur ab imo
Omnia. pugnantûm vis coniurata, Viennæ
Ardet in excidium. sed Sterembergius Heros
Eminet his, casuq; præest sublimior omni
Viribus Austriacis, peditumq; cohortibus auctus,
Peruigil, immistus cuneis, semperq; sub ictu,
Erectus fida populi virtute, sacroque
Iuratæ zelo fidei. nec profuit horror
Exterius subtusq; tonans; dùm turpiter illa
Tempestas elusa ruit, ceditq; cruentus
Per sua busta furor; stragisq; cadauera fœdæ,
Mœnibus, & fossis, cumulo sordente relinquit.
Prô! quantûm gemuit Thrax, tanta cæde suorum,
In rabiem versus; toties quod sorte sinistra,
Immanes ausus geminans, totiesq; repulsus
Omnia cùm tentat; virtus Alemannica cunctis
Fortior, infracto super omnia Marte triumphet.
Ast Equitum turmas retinens LOTHARINGVS ad Istrum,
Ponteque deiecto castris diuisus, ad omnes
Intendensque vices, & pressæ fata Viennæ;
Dùm vigilat, carpitque Getas, & sustinet in se
Res propè conuulsas. fortissima iungitur illi
Dextra LVBOMIRSCI; qui iam cùm flore Polono
Exoptatus adest, contemptis mille periclis.
Viscera Germanus miles, cum Principe dextra
Pandit ei; stringuntq; pios sacra fœdera nexus
Arctiùs ex vtraq; manu. mox fortia gesta
Consiliis agitant paribus, Thracasque sequuntur,

Oppugnatur à Turcis validissime Vienna.

Fortissimè à Cæsareanis defenditur.

Princeps Lubomirscius cum Austriacis copias suas iungit

Sors

Sors quocunque vocat, transmisso flumine prona.
Hîc iam victrices Aquilæ, felicia primùm
Omina, Bistonii sumunt de clade Gradiui.
Cæditur ad ripas Istri, castrensibus hostis
Egressius caueis. capitur non vna Gelonum,
Turcarumq; manus. constat res omnis ad vrbem
Quæ geritur; quantæque suis cecidêre ruinis
Hostiles animæ, peditum lectæque cohortes.

Turcæ aliquoties à Polonis, & Germanis cæduntur.

Quàm Vezyrus atrox rursus noua fulmina belli,
Immanesque paret quassandis mœnibus iras;
Per capita, atque struem calcatæ mortis iturus,
Quò Vesanus auet. sed ringitur, vndique Bessos
Atque Scythas virtute capi., cædique Polona;
Post geminas palmas, victoria quando secuta
Tertia nobilior. LOTHARINGI Principis illam,
Atque LVBOMIRSCI mens cordatissima, iusto
Conflictu meruit. nam Thracas vt impius ardor
Pannonas, atque Scythas, coniunctis extulit armis
Per Marcomannos feralibus omnia flammis,
Tollere dùm flagrant. occurrit Lechicus, atque

24. Aug. Turcæ à Principe Lotharingio & Lubomirscio, insigni clade cæsi.

Austriacus Mauors, sæuis vt fortiter obstet
Agmninibus, proprioq; feras vt sanguine pascat.
Primus in Odrysium robur, fortissimus vrget
Arma Lubomirsci genius; quo victima præceps
Ductoris Getici cadit; insultusque Scytharum
Funditur, & nimbus Thracum, Grocholscia postquam
Incubuit lateri virtus, vicitque ruentes,
Robore Germano, iam perrumpente phalanges
Effusi cessêre Getæ. mox vndique cædes,
Probrosæ tergumque fugæ. spes vna salutis
Ister. & hic Lechicus si quos non hauserat ensis,
Hausit aquis, mersosque tulit cum vindice fluctu
Militis in prædam. sic res augusta, triumphis
Mense sub Augusto, dederat maioribus omen.
Hîc vicisse datum. sed res angusta Viennæ,

Extremam

Extremam poſcebat opem. concuſſa fatiſcunt
Mœnia, non vno vallum diſcedit hiatu;
Admotæ propiùs moles. iamque imminet hoſtis
Strage ſua foſſas, & vaſtis cædibus implens;
Cumque vices mutet, reſpiria nulla laborum
Obſeſſis conceſſa, dies, noctéſque fatigant
Excubias vrbis. ſuſpirant omnia Martis
Auxilium Lechici. ſolamen in omnibus vnum,
Vna ſalus rerum, tutelaque tota IOANNES
Rex bellatorum, clades Orientis, & vmbo
Maximus Europæ. qui iam victricia tollens
Signa coronati capitis diſcrimine, Thracas
Poſcit, & Auſtriacis properat ſuccurrere rebus.
Secula quod ſtupeant, quod nullus in orbe loquatur
Par genius Vatum, Parnaſſia numina Muſæ
Dicite nunc; quanto ſteterit res maxima ductu
Sarmatici Regis. ſolium quàm vicerit omne,
Exemploque pari nunquam viſendus, in vna
Geſtorum ſerie, totum concluſerit Orbem,
Orbis Chriſtiadûm victoria tota IOANNES.
Grandis ei ſtimulus, fidei defenſio, reſque
Extremas habitura vices, ſi vinceret hoſtis,
Europæ cupiens ipſam viciſſe medullam.
Diuinum proin ille, ſacri cum fœdere belli,
Aggreſſurus opus, pietatis victima primùm
Auguſta virtute cadit. dùm ſupplice voto
Claromontanæ, veneratus Imaginis ædem,
Virginis Auguſtal magnæ, Chriſtique Parentis,
Regales ſtrauit trabeas; dextramque ſacrauit
Gentibus Eois vltricia fata daturam.
Hinc ad cor Regni, Craciam delatus ad vrbem,
Corda Deo, Diuiſque vouet. nil Sanctius vnquam,
Auſpiciis belli, Martiſque in limine geſtum,
Principe quàm tantò. quoties proſtratus ad Aras,

Sereniſsimus Ioannes Poloniæ Rex, expeditionem in Auſtriam apparat.

Miraculoſam SS. Virginis Claromõtanæ Imaginem viſitat.

Cracouiam aduenit.

Diuinam opē publicis supplicationibus implorat.

Augusta pariter cum procumbente Marita,
Proleque Regali; lachrymas spectantibus ipse,
Et dulces gemitus expressit, & omnia faustè
Successura, Deo sic disponente probauit:

Nicolaum Sieniawski Palatinum Volhyniæ, & Exercituum Campiductorē, cum parte copiarū præmittit.

Ergò SIENIAVIO primùm Ductore, phalanges
Expedit instructas acie, fortesque Virorum
Accendit dictis animos. Mox ipse triumphis

Die S. Laurentii Martyris Apostolicam benedictionem recipit.

Omina fert benedicta polo. LAVRENTIVS illis
Martyr, Apostolicas laurus, & præuia rerum
Argumenta dedit, quæ iam sors læta parabat.

D. Ioanis Cantij sepulchrum adit, & Vniuersitatem Crac: amantissimè visitat

Patritii Diui, Cineres vbi, bustaque sacra
Deposuère locis felicibus, ad pia vota
Delecti. visique lares vbi CANTIVS, ædes
Incoluit doctas, & limina Palladis altæ.
Ille triumphali cecinit victricia cantu,
Victorique dedit lætissima signa IOANNI;
Qui vultu tandem sacris defixus Arenis

15. Aug. Die Assumptæ in Cælum Virginis, ex celebri loco Arenensi, ad Castra discedit.

Ingemuit; stellamque Maris dùm poscit ab alto,
Ante triumphantem posuit sua vota MARIAM.
Iam Lechici Martis Dux IABłONOVIVS ibat
Robur habens. cataphractus Eques iam totus in armis,
Silesiis vicina plagis iam castra stetêre;
Cùm REX Inuictus, feruensque in prælia Mauors
Ipse sui victor, quàm Maiestate stupendus;
Tam virtute super mortalia cuncta triumphans,

Serenissimæ Consorti, & Regiæ Proli valedicit.

Sanguinis oblitus, Patriæ, vitæque, thronique,
Regalisque Domus; caræque per oscula Prolis
Perrumpens, externa petit discrimen in omne
Regna. nec Augustæ Consortis dulce moratus
Nomen, & vndantes lachrymas, comitante IACOBO
Principe, Sarmatiæ terras dimittit amicas.
Pro! quantùm Bellona potens, heroaque virtus
Entheat ingentes animos! nil tota vorago
Mortis, & abruptæ nil profecêre Charybdes;

Mars

Mars vbi contemptor vitæ, nil carius vnquam
Æſtimat; in mortis quàm poſſe pericula ferri,
Et pretium neſcire ſui. quàm prodigus, & quàm,
Nec ſibi, nec Domui parcens Rex maximus, Orbi
Chriſtiadûm donatus abit. cui gemmula magni
Sanguinis, & trabeæ ſoboles Auguſta IACOBVS,
Cor non eripuit; communia viſcera ſecum
Dùm tulit in mortem. ſed nec pugnante Philippo,
Hic Macedo Natus, voluit ſupereſſe; domique
Purpureas iactare togas, cum caſſide picta;
Diſcere ſed Martem rigidum virtute Paterna,
Luctari, galeamque pati, vel ceſpite duro
Reclinare caput, vel fixa ſtare sariſsâ.
Hoc animo Patrem ſequitur, ductuque ſecundo
Arma mouet; Phrygio non tam viſendus in auro;
Quàm ſitiens pugnæ. celeres iuiſſe cohortes
Iuſſerat interea Princeps. mox ipſe ſecutus
Maturum feſtinat iter. iuſtiſſimus ardor,
Et dolor, & rerum vix eluctabile fatum,
Excuſſêre moras. feruent pia vota gementûm.
Supplicat omne genu, ſacriſque aduoluitur Aris.
Publicus Europæ penetrat cæleſtia clamor.
Cracia cinnameis redolent Altaria donis,
Atque madent lachrymis. Conſors Auguſta, Domuſq;
Regia, ſacrorum myſtæ, cum plebe fatigant
Numinis irati ſolium. fœdiſſimus vrbem
Turca quatit, ſtringitque magis. vix Auſtria ſpirat,
Vix animi compos, diſcerptaque tota dehiſcit.
Thrax veſpillo furit, ſubtùs feralibus inſtat
Ignibus, euellitque baſes, vallique profunda;
Tormentis nunc triſte boat. mors ſæua, ciniſque
Extremus, properant triſtiſſima buſta Viennæ.
Sed non hoc, dubiis æterna ſenacula rebus,
Decreuêre polo. ſupplex affuſa Tonanti

Sereniſſimus Iacobus Poloniæ Princeps, magno animo Patris Auguſti Martem ſequitur.

Cracouiæ, & per Orbē Chriſtianum feruētiſſima Deo, ſupplicantium vota.

Maximis viribus, & extremo conatu, Turcæ oppugnāt Viennam.

 Reli-

Religio, ſquallente coma, rorantibus imbres
Sanguineos oculis, per lilia caſta genarum
Deducens, dudumque ſuos ſquallore ſepulta,
Non loquitur, ſed tota gemit. Rex Maxime Regum,
Immenſum Numen, rerum vis ſumma Creatrix,
Electi populi ſpes vnica, vita, ſaluſque;
Quam Tua Crux, Sanguiſq; Tuus, mortiſq; pudendæ
In Cruce quæſiuit pretium. iam cardine toto,
Res mea, Chriſtiadûmq; genus, ſediſque poteſtas
Romanæ conuulſa ruit. verſatur in vna
Vrbe, graui fremitu cûi barbarus imminet hoſtis,
Cladibus vna meis, quæ ſorbeat omnia clades,
Nî ſtatuas aliter. quod triſtè gementibus oro
Viſceribus, confiſa tuæ pietatis abyſſo.
Tolle minas, diſperde Getas. fac vincere cauſam,
Quæ pro Te zelat. Machometis bellua ſpurci,
Sentiat Inuictum pro Te viciſſe IOANNEM.
Hæc ait, & luctu ſiluit deiecta profundo.
Adiunxêre preces, maieſtatiſque tremendæ
Ante thronum, fuſas Diui miſêre coronas;
Auſtriadûm, Lechidûmq; quibus res publica cordi eſt.
Nataleſque breui celebres, habitura per Orbem,
Magna Dei Mater, mira dulcedine cordis
Reddidit Auſtriacæ Numen clementius Vrbi;
Et Marti Lechico palmas, & clara Ioanni,
Geſta triumphorum meruit. legionibus ille
Sarmaticis properare gradum non ceſſat; vt hoſti
Ocyùs incumbat; quem vaſtis paſſibus ardet.
Morauaſque Arces, & quod miſerabile dictu,
Vndique fumantes tædis hoſtilibus oras
Prægreſſus, volitante velut pennâque, viâque.
Occurſu fauſto Lotharingi Principis, intrat
Finibus Auſtriacis, quæ proximus alluit Iſter
Arua Getis propiora. breui viſendus in ipſa

Terri-

Terribili rerum facie, bellique theatro.
Hîc ſocias caſtris Aquilas, & claſſica iungens,
Prima Ducùm capita, & fulgentem Principe mitra,
Sereniſſimus Ioannes cum Auſtriaco Exercitu, Copias iungit.
Electoralem Germani roboris augem,
Excipit amplexu grato, dignatur honore;
Speſque bonas animis renouat. languentia corda,
Augusti vultus in Maieſtate ſerenat.
Terror, amorque ſimul Martis. non lætiùs vnquam
Cæſareæ volucres, Alemanni corda Gradiui
Exegêre diem. nec tam Romana Camillo
Submiſit fortuna nouos cum vertice faſces;
Quàm cùm Diuinus cæleſtia lumina Princeps,
Intulit Auſtriadûm caſtris. riſêre ſecundis
Auſpiciis hilares animæ. cêu nube remota,
Cùm madidæ ceſsêre minæ, ſudumque reduxit
Summo animorum deſiderio, & gaudio excipitur.
Clara poli facies, roſeo Thaumantias ore,
Arridet Phœbi radiis; arcumq́; nitentem
Tollit in applauſus, cælo redeunte ſereno.
Principis ad tanti nutus, Exercitus omnis,
Iuſſa capit. Regale caput, cêu Delphica magni
Conſilii delubra colit. dictamine ſummo,
Tot populi, linguæque pares in milite ſenſus
Conciliant; vnumque ſequi placet omnibus, vno
Sic poſcente throno. Mars, Conſus, Neſtor, Achilles
Rex idem, famam tranſgreſſus nominis; in quo
Plùs vidiſſe datum, quàm quod ſperauerat Orbis.
Vt placuit tandem, robur commune Gradiui
In Geticas acies, & Thracia vertere caſtra;
Biſtonio faſtu rem contemnente, nec vllis
Faucibus obſeſſis. nec in vllo calle viarum
Danubium cum toto exercitu, ſecurè tranſmittit.
Excubiis circùm poſitis. vis bellica tota,
Ponte catenatum poſtquam tranſmiſerat Iſtrum,
Hoſtilem tenuit ripam. quàm vana tumentes,
Excæcas animos fiducia! quantus in hoſte

Exitii ſtupor ipſe ſui, venabula temnens,
Seruiit, vt caderet. ceſſit fortuna ſuperbi
Biſtonis in meliùs. ſpolium Mezentius ingens
Hâud Teucris, nomenque ſuis infame dediſſet
Manibus æternùm; ſi non contemptor in hoſtem
Barbaricos faſtus, præruptaque colla tuliſſet.
Hìc acies iam tota patet, iam caſtra Getarum
Admotis propiùs caſtris, viciniùs adſunt.
Martia res geritur, maioribus vndique curis.
Agminibus miles, cautiſque per omnia circùm

Syluarum inuia, & ab hoſte inſeſſa, ſumma virtute penetrat.

Paſſibus incedit, nemori iam proximus alto;
Hoſti quò faciles latebræ; ſêu viribus ille,
Sêu agat ille dolis. ſed mens inuicta IOANNIS,
Difficileſque vias, præruptaque vincere ſaxa
Fecit, & anfractus varios. longiſſima ſyluæ
Sanguineis moles ô quàm ſudoribus, ægrè
Contra Biſtonidas, potuit per deuia vinci!
Fortiter excuſſis Thracum, cæſiſque cateruis,
Calleque ſecuro; quem fecerat ille cruentus,
Immenſuſque labor; tùm dira fameſque, ſitiſque
Ereptuſque oculis ſomnus. lectiſſima donec
Eluctata manus, per circumſtantia latè
Æquora terrarum, campos ſpectaret apertos,
Venerat illa dies, cûi nec teſtudo Pelaſga,

12. 7bris glorioſiſſimus ad Viennam conflictus.

Nec par Mœonides. nec Mantua tota Camœnis
Sufficit Auſoniis. ſua cûi faſtigia Pindus,
Cyrrhaque, & acclines ſubmiſit Cynthus honores.
Vna dies, nec plena dies; quæ ſecula vicit
Plena triumphorum, quod de ſe ſola loquatur;
Quâ rerum ſerie. faſtos impleuit, & Orbis
Hactenùs attoniti captum ſuperauit, & omnem
Exceſſiſſe fidem meruit; niſi Sole ſub ipſo,
Viciſſet teſtes oculos, res fortiter acta.
Purpureas aurora genas, nam vertice ſummo,

Protu-

Protulit vt primùm; liquidos ſoliſque iugales
Præueniens, cum rore diem ſignauit amicam;
Mars vigil, & grandes agitans in Principe curas,
Impatienſque moræ, lituos, & claſſica belli
Excitat. ingentiſque operæ molimina primus
Accelerat, Ducibuſque vices diſpenſat; ad omnes
Militiæ partes intentus, & vndique tantæ
Molis opus retinens, inuictæ robore mentis.
Corpora feſſa quidem, ſed miles ad omnia promptus;
Et cunctis viuax animus, maiorq; ſeipſo,
Solaque tam vaſto virtus ſuperеminet hoſti.
Rex animo ſummus, maieſtatemque decora
Fronte gerens, natuſque ſago, totuſque cruento
Iam poſitus campo, ſapiens, fortiſſimus idem;
Eductas acies, ſors cùm feciſſet iniquis
Inſtruxiſſe locis, miro tamen Ordine pandit.
Tauricam contra ducit, cornuque ſiniſtrum
Dux Lotharingus habet; medium ſtat robur in armis;
Quod regit Elector Saxo, pariterque Bauarus;
Rex dextrum cornu, Lechico cum marte gubernat.
Parua acies numero. ſed ſtat virtute quadrata.
Sed Ductore ſuo, ſatis eſt auguſta IOANNE.
Pandit & Odryſiis educta potentia caſtris
Inſolitas acies, tormentaque bellica grandi
Diſponit numero. nubes denſiſſima campos
Obruit; exceditque oculos, renuitque videri
Tota ſimul. vires Orientis, & agmina mille
Gentibus ex variis, ignotaque nomina ducens.
Formido paſſim volitat. cordataque quamuis
Pectora, caſtrorum percellit machina tanta,
Cunſpectuque grauat res portentoſa vel ipſo.
Vt campis ſonuêre tubæ, data ſigna Gradiuo;
Auſtriadûm, Lechidûmq; Aquilas Rex maximus antè
Prouocat ad fortes auſus, & talia fatur.

Sereniſsimus Joannes aciē inſtruit.

Turcæ validiſſimam aciem inſtruunt.

Gens

Gens electa Deo, Christi gens sanguine parta,
Heroæ, caræque animæ; quas ducit in hostem
Causa Dei, tantisque fides obiecta periclis,
Otthomannus adest, hostis iuratus, & vno
Ictu oculi, nostram cupiens excindere gentem.
Res stetit in puncto. quo non vicinius vllum
Casibus extremis; si non victricibus armis,
Hìc stabit defensa fides, virtuteque vestra;
De tot in Europa Regnis, & gentibus actum est.
Nec vos tanta acies, nec bellua terreat ingens
Threiicii Martis. Deus est victoria nostra,
Pro quo res agitur. sacræ fiducia causæ,
Auiniane Pater, diuinus spiritus in Te,
Quam peperit nobis, in nobis sola triumphet.
Spes bona, nobiscum Deus est. nec plura locutum,
Excepit Geticus Mauors, cêu fulmine toto
Castra Dei Sabaoth, Germanaque robora primùm
Aggressus, Scythicis canibus, Ponticque molossis;
Quà Lotharingiacas tenuit pars læua cohortes,
Iunxerat & Lechicas Princeps Lubomirscius alas.

P. Marcus Auiniani Capucinus, Sanctimoniâ vitæ celebris, Exercitus Christianos animauit.

Ergò pharetrati, iaculis, gladiisque Geloni,
Vt strinxêre manum; vis confertissima pugnæ
Vndique per campos Alemannica fertur in arma;
Sæuus mucro neces, & funera totus anhelat,
Auolat, & reuolat, tandem ruit impete cœco.
Sed nubem Scythicam, sua vis, rabiesque fefellit;
Viribus infractis, cùm murus aheneus illam
Densatis cuneis, tormentorumque per ictus
Disiecit. Scythica postquam Theutoque, Lechusque
Cæde cruentatus, fugitiuos reppulit illò;
Quò malèsana cohors, ingenti venerat ausu.

In sinistrum cornu Scythæ primùm inuolant.

Fortissimè excepti, à Duce Lotharingo fugantur.

In dextrum cornu, sed iam cum Marte furenti,
Incubuit Vezyrus atrox; quò principe ductu,
Regius effulgebat apex, galeæque nitentis

In dextrũ Cornu Serenissimi Ioannis Turcarum impetus maximus.

Fulgur

Fulgur & Inuicti ſpecies auguſta Monarchæ,
Acrius inuitabat opus. ſi Boſphorus vnquam,
Turbine fulmineo, diriſque furoribus actus,
Mouit in aduerſum Martem violentiùs iras;
Nunc certè totus, Stygio cêu flamine raptus,
Quod non crediderat cernens, & viſcera mandens,
In cædes Lechicas, inque exoſiſſima Regis
Nomina Sarmatici, veſanis paſſibus iuit.
Hûc quoque Rex bellator adeſt, fortiſſima magno
Bella ciens animo, cataphractas ordinat alas;
Et peditum robur, quod ſæuis Thracibus obſtet,
Sulfurea cum nube locat. denſiſſimus inde
Nimbus in hoſtiles acies ruit, & fragor ingens
Detonat in campis; queîs Sarmata fortis in hoſtem
Inuectus, ſtrictoque minax, & fulgidus enſe,
Conflixit ſpectante polo, virtute ſtupenda.
Thrax numero, faſtuque valet, contemnit, & vrget;
Vi calet inuicta, Lechicus ſine mole Gradiuus;
Sed grauis incumbit, ſcrutatur viſcera ferro, *Poloni fortiſſimè pugnant.*
Figuntur validæ, fibriſque patentibus haſtæ,
Mille vias morti, per ſanguinis oſtia pandunt.
Pugna cruenta vices alternat, & vndique ſecum
Luctatur fortuna, vagis cêu fluctibus acta.
Stat Lacheſis caſu dubio, ſortemque cadentûm *Atrox vtrinq; & dubia pugna.*
Fata librant. Geticæque animæ nunc cæde cruenta
Intereunt; nunc ſæua rapit cum morte procella
Heroas Lechiæ. cadit hêu lectiſſimus, alti
Sanguinis, & Patriæ flos, victima prima iuuentæ *StaniſlausPotocki Caſtellanid: Crac: Præfectus Halicië: fortiter, & gloriosè occũbit.*
Sarmaticæ, magnique Patris dolor, hêu dolor ingens
Potocius virtute cadit! per ſecula ductis
Victurus Lechiæ faſtis. quem bellicus ardor
Intulerat, Mauors vbi confertiſſimus, inter
Feruebat Geticos enſes; Pallantaque noſtrum
Abſtulit; in turmas dùm pugnaciſſimus ardet

Odryſias; vitamque Deo, fideique tuendæ
Donat, & æterno conſignat nomina buſto.
Hîc tibi purpureis, Iuuenum Celſiſſime, nimbis
Cælica grando pluet Pæſtana roſaria. totus
Hîc viues roſeus; quem purpura murice bino,
Sanguinis, & Martis decorat. nec deſinet vnquam,
Delicium te fama ſuum, te dicere Mauors,
Donec inauditæ durabit gloria palmæ.

Theſaurarius Curiæ Regni Modrzeiouius, ſumma virtute pugnans interimitur.

Sternitur hac acie quoque Modrzeiouius Heros,
Militiæ primæuus honos, cordata tot annis
Gloria pugnantûm. Vir quàm vilendus in armis;
Tam poſcente toga cultiſſimus, omneque tollens
Dotibus excelſis punctum, iuſtique doloris
Auguſtas meritus lachrymas; pulcherrima laurus,
Cûi circum tumuli faſtigia celſa virebit,
Perpetuum latura decus. cecidêre ſub ictu
Fatalis gladii, tot nomina, totque Polonæ
Robora militiæ; quorum me poſceret, ô quam
Digna cani virtus! ſed iam res maxima rerum
Vertitur in puncto. dum pugnax feruet vtrinque
Marte ruente calor; belli ſtetit alea tandem
Pro nobis ô Magne Deus! quem Cracia ſupplex
Pane ſub Angelico, pietas, felicibus horis,
Hâc ipſâ tuleratq; die; quâ vincere per te,
Chriſtiadûm potuit virtus, in Rege IOANNE.

Proceſſio ſolennis Cracouiæ cum SS. Euchariſtiæ Sacramento, ipſa victoriæ, die, & horâ.

Turcarum Exercitus funditur.

Sereniſſimi Alexandri Poloniæ Principis, haſtatorũ Ala, prima Turcarum aciem frangit.

Nempè diû luctata ſago, mox tota reliquit,
Vezyrum fortuna trucem; per Thracia poſtquam
Perrupit cataphractus eques, fregitque Gelonum
Agmina, per ſtrages, & diræ mortis aceruos.
Egit Alexandri primùm quod Principis Ala,
Haſtatis figens iaculis, Beſſoſque, Getaſq;
Ordinibus ruptis donec diſiecta, fugaxque
Sæua phalanx rueret. tùm robur ſcinditur omne,
Iamque patet gladiis. cæduntur Marte ſoluto

Heû

Heû pauidi Turcæ! gladius vorat omnia, passim
Imbelles forteſque cadunt. fuga dedecus ingens
Præcipitat victos, cogitque excedere campis
Æterna cum labe Getas. Vezyre quid vltra
Mentis in exceſſu, lachrymas, & inania torques
Fulmina, ridendaſque minas? quid ſupplice fletu
Poſcis opem Scythiæ? quid pignora cara? tuoſque
Obteſtaris, atrox quondam, faſtuſq; pudendi
Heû nimiùs! pugnare ſimul, totiſque Viennam
Viribus oppugnare auſus. quod turgida ſuaſit
Barbaries, Lechici deſpectaq; Caſtra Monarchæ;
Quem fugis hêu! vertiſque palam fœdiſſima terga,
Præfectique tui, millenaque copia tecum
Militiæ tantæ fugit hêu! ſic impie Biſton
Noſce Deum, blaſpheme, furens; rodaſq; teipſum,
Quod tanto cum Marte cadas, fueriſque ſub ictu,
Iam propè mancipium Lechicum; ni ſæpe fugacem
Mutatus toties ſonipes ſeruaſſet, aduſque
Supplicium de te, iuſtas ſceleriſque nefandi
Vindicias; quas fune lues, non perditus enſe,
Ite Getæ ſcelerata manus, pernicibus ite
Paſſibus hêu retro! vis, & fortuna IOANNIS
Fulminat effuſos. Nemeſis iuſtiſſima torquet
Frendentes animos. Lechicus Mars proterit, inſtat.
Rex inter cuneos, interque pericula totus
Monſtra fugat, Stimulatq; ſuos. cariſſimus illi
Ponè latus cingit, primo ſub Marte IACOBVS,
Regia progenies, & tanto digna Parente;
Iamq; Scythas validus, iam Thracas vincere Princeps,
Maturus virtute, cruentaque prælia poſcens;
Quæ didiciſſe licet tanto ſpectata theatro;
Ad Patris Auguſti regimen; quem fortis vbique,
Inuictoque animo ſequitur. ducturus in hoſtem
Auſpiciis aliquando ſuis, cis Strymona, & Hebrum,

Turcarum cædes, & fuga ex acie.

Vezyri magna conſternatio, & gemitus. Eadem die Vienna, à Turcis oppugnata.

Sereniſſimi Iacobi Poloniæ Principis, prima in bello, fortis, & heroica virtus.

 Victri-

Victrices Aquilas. quas nunc Orientis ad Istrum
Vis immensa stupet; dùm maxima castra reliquit,
Turca fugax totus, per fœda cadauera, perque
Prodigiosa ruens tantæ dispendia molis;
Cûi fuerat nox illa dies; nî sole cadente
Nox clausisset opus; tenebras quæ fudit opacas;
Atque cruentatæ posuit respiria dextræ.
Sed dilecte Deo, Princeps Inuicte IOANNES,
Respirare Tibi victori non licet. ecce
Totus amor, totusque Tibi per gaudia plausus
Funditur. inque Tuos obtutus irruit omnis,
Gratia Theutonici Martis. iam colla, manusque

Serenissimum Ioannem, Electores, & Principes Imperii, summo gaudio complectûtur.

Oscula mille ferunt. iam mucro Regius inter
Delicias; armisq; tuis iam dulciter hærent
Ora salutantûm. Tu sol, Tu nectar amoris,
Tu stupor Austriadûm. Tibi se complexibus arctis,
Electoralis iungunt fastigia mitræ.
Tu seruata salus, Tu spes inuicta Viennæ;
Quæ Tibi Victori, iam libera plaudit, ouatque,
Atque triumphales pandit cum viscere portas;

Viennâ obsidione liberatâ, Rex inter maximos applausus intrat.

Lætitiæ vix ipsa suæ, sine fine, modoque
Sufficiens, rursusque nouis natalibus orta,
Ingredere vrbem Rex, quam per Te Marte stupendo,
Regalis sudatus apex, ex faucibus ipsis
Eripuit; tumuloq; suo ceu surgere iussam,
Reddidit Augustis manibus. stupet illa seipsam,
Teq; oculis fert illa suum, Rex Magne Camillum;
Te votis, & voce colit; Te deperit. in Te
Scipiadas, Decios, Marcellos, Hectoras; & si
Quid maius bellator habet per secula Mauors,
Suspicit. oblitamq; sui se gaudet, in vno
Principe, tam vastis etiam superesse triumphis.
It clamor Cælo. sed clamor dulcis, & inter
Miscentur lachrymæ dulces, & gaudia læta;
Agminibus populi Te iam poscentibus vnum;
Spectantûm numerus quem confertissimus ambit.

Sed

Sed Tu templa petis, sacrâs Tu pronus ad Aras
Procidis; expansaſq; manus, & brachia tollis
In cælum; tribuiſque Deo, qui vicerat in Te,
Quicquid inaudito geſtum, fractumque Gradiuo.

In Baſilica Vienenſi pro obtenta victoria Deo gratias agit

Cauſa Deus, Deus ipſe ſuæ victoria cauſæ,
Seruator, Vindex fidei, totuſque triumphus;
Pro quo dulce mori; nî palmas ipſe dediſſet;
Impia nî tumidi fregiſſet colla Tyranni.
Vrbe ſed auguſta millenis plauſibus exis;
Caſtra quod expoſcunt hoſtilia. nocte profunda
Nam fuerant latè flammis ingentibus hauſta;
Dum lixas auidus prædæ rapit impetus; & mox
Immani terrore luit, damnoque rapacis
Ignes fortuitos dextræ. lux clara reuelat,

Caſtra Turcarum noctu fortuito igne correpta.

Caſtrorum tandem ſeclîs memorabile pondus,
Et vaſtas Orientis opes, Aſiamque relictam
Militis in ſpolium. nihil hîc non fulgurat auro;
Nil vacuum gemmis. nil quod non purpura texat,
Sidoniuſque nitor qûod non euerbêret, inter
Delicias; quarum Vezyri Curia Princeps,
In Caſtris vrbana dedit ſpectacula, campis
Ad molles luxus deducta palatia figens.

Caſtra Turcarum ingentia diripiuntur. Præda Caſtrorum inaudita

Plumbea vis ingens, tormentorumq; ſtupenda
Prægrandi numero moles; armataque paſſim
Copia, nec dictu facilis, numerumque recuſans;
Omnia ſpes auidas ſuperantia; maximus ardor,
Atq; ſitis prædæ, queîs non ſuffecerat ingens,
Tolleret vt totum. quamuis cum milite tanto,
Plebs quoque Threiicios luxus vrbana tuliſſet.
Prima tamen, noſtris ſimulac ceſsêre trophœis,
Rex pius, Innocuo mittit vexilla Monarchæ,
Chriſtiadûmque Patri; ſeclis venientibus olim
Romano viſenda tholo, quo maximus Orbis
Fulget apex. manibuſque tuis commiſſa Talenti,
Care throno Regum, trabeis dilecte Polonis;
Deliciis quem Roma ſuis, ſacriſque triumphis

Vexillum Otthomannicũ, Innocentio XI. Pontif: Max: in ſignum victoriæ miſſum

H

Extulit

Abbas Claræ Tumbæ Ioannes Casimirus Donhoff vexillum Pontifici reddit.

Extulit ad summum. postquam Donhoffius Abbas
Gaudia Pontifici vix iam sua, corque tenenti,
Reddidit, Odrysiæ lunæ victricia signa,
Eloquii dulcore sui. nec dulciùs vnquam,

Venetiis, Romæ, & per Orbē Christianum, insignes triumphi.

Tarpeios colles, Vaticanaque culmina mouit
Plaudentis populi calor, & festiua procella;
Quam stupor, & plausus Venetæ præcesserat Vrbis;
Ausoniæque oræ passim dulcedo secuta;
Publicus Europæque bono lætissimus Orbis,
Viscera profudit Victori tota IOANNI.

Rex insequitur hostem.

Ille triumphalis postquam solennia palmæ
Victori tribuit Christo; nil velle morari,
Vezyrum statuitque sequi; dùm fusus, & errans,
Perculsusque fugit. dum totus palpitat, hæret,
Fluctuat in partes, exesaque corda fatigat.
Motis hinc igitur castris, iubet ire Gradiuum
Ocyùs, insequiturque Getas, captosque Viennæ
Reddit; vt obsidii quod vis sæuissima tanti
Mouerat è fundo; rursus seruilia Thracûm
Brachia restituant, Cyclopæasque ruinis
Admoueant dextras immanibus. ipse viarum
Difficiles tractus, infracto robore vincit,

Morbi lethales Exercitum infestant.

Luctaturque gradu. nam quod consumpserat hostis,
Austriadûm terras ferro populatus, & igni;
Id graue militiæ. passim quoque morbida sternit
Corpora, distractus per castra gementia languor;
Heroasq; rapit, tantiq; negotia Martis
Obice fatali retrahit. Vezyrus vt arctæ
Concesêre vices spatium, tentare fugaces
Relliquias ausus, rursùm noua prælia Budæ

Vezyrus iterū vires colligit.

Cogitat; offensi cupiens Bizantia sceptra
Conciliare throni. sed Rex vestigat, in hoste
Quid ferat indignata malis successibus ira,
Vindictæ sitiensque animus. sic promouet Istri
Vicinas arces circùm, Geticisq; propinquum
Castris vrget iter. Turças sors erigit, inflatq;

Quæ

Quæ modicis ſteterat damnis. Donhoffius Heros
Hic cecidit, claro vir ſanguine, clarior Orbi
Morte triumphali; quâ non conceſſit, vt hoſti
Cederet in ſpolium. dignus per ſecula palmis,
Dùm cadit in palmas Patriæ. nam bellica laurus
Floruit hinc rursùm, memorando parta triumpho.
Scilicet Hunniacis vbi pons notiſſimus oris,
Iſtrum Strygonio iungit; Thrax barbarus auſu
Arma nouo ſumens, collectis viribus ardet
Vindicias; plagiſq; ſuis fomenta requirens;
Inuenit vulnus lethale profundiùs actum.
Ergò minax, ardenſque iterum, fortiſſima corda
Prouocat ad pugnam. Rex contra Biſtonas igne,
Et gladio victore calens, gratatur adeſſe
Fortunæ momenta nouæ, nec prælia differt.
Conflixêre acies. Mars feruentiſſimus ambas
Commiſit gentes. Thrax certat vindice ferro;
Sed victrice manu certant inuicta IOANNIS
Agmina; nec dubios vel prima fronte morantur
Euentus pugnæ. cataphractæ nempè cohortes,
Et peditum robur, Turcas vt fulmine primo
Diſiecêre; cadunt mox Thracia corpora paſſim,
Incumbitq; haſtatus eques nutantibus, & iam
Ex acie motis. Rex totas ipſe Phalanges
Ducit, & inflammat; victoſque in fronte Gelonos
Ambit & à tergo; circumductoque triumphat
Marte per effuſas acies, & buſta cadentûm.
Vt campis ceſſêre Getæ. tùm cædibus omnis
Ora loci vicina patet, cruor omnia fœdat
Barbarus, & veſpillo iacet fœdiſſimus hoſtis
Funeris ipſe ſui. cecidêre ſub ictu
Victoris gladii; quos Mars productus ad Iſtrum,
Hauſerat in campis; fuga quos effuſa, relictum
Impulit in pontem, grandi formidine raptos,
Et miserè cæſos; & tandem ponte ſoluto,
In præceps hêu ſponte datos, paſſimque ruentes,

Palatinus Pomeraniæ Vladiſlaus Donhoff pugnans glorioſe, occumbit.

9. sbris inſignis iterum ex Turcis, ad Strygonium victoria.

 Vltor

Turcæ profligati, ponte dirupto, Danubio cruentato merguntur.

Vltor Danubius rapuit, texitq; profundis
Vorticibus; nudata vorans tot corpora, totq;
Absorbens animas, miseræ spectacula scenæ;
Nuntius vt Budam tristis, totusque cruentus,
Sanguineis cladem Vezyro proferat vndis.
Sed manus effusis quæ se subduxerat armis,
Angusto conclusa loco, pontemque relinquens
Cessit in arbitrium Regis; captiuaque dextræ
Colla triumphali submisit; & oppida capti
Concessêre loci, victori prona IONNI.

Castra Turcarum iterum direpta.

Miles at in Castris, spoliorum rursus opima
Messe beatus ouat; tantæ noua gaudia prædæ
Priscis accumulans spoliis. lectissima Thracum
Portio vincta gemit. veniunt in vincula magni
Terrarumque Duces, Geticiq; insignia Martis
Nomina, Vezyros inter quæ computat Eos.

Captiui Turcarum insignes, Præfectus Sylistriæ vnus ex septē Vezyris, Præfectus Alepi, & alii plurimi in Vincula ducti.

Nempe Sylistriacos fasces, Alepiq; curules,
Qui tenuêre Viri, Præfecti gentibus, & tot
Prima sagi capita, in sortem venêre dolendam,
Captiuasque manus vrgente dedêre Gradiuo.
Sic Deus Odrysium rursus succumbere fastum
Iussit, & augustas LEOPOLDO surgere laurus,
Sarmatico fecitq; throno. victoria certè
Cæsorum numero maior, nimiùmque cruento
Marte dolenda Getis; celeberrima quamuis
Rebus inauditis vigeat; quæ laurea primùm
Obsessæ fuerat vindex, & palma Viennæ.
Hîc iam Threicias post clades, ponte refecto
Danubium superat Princeps, Martemq; propinquum
Strygonio transfert. Vrbs opportuna, situque
Ad ripas Istri geminas, arcesque tuendas
Munito firmata loco, rebusq; gerendis
Apta, Viros ensesq; acuit. decernitur inde,
Miles vt admotis propiùs conatibus instet,
Inuadatque vrbem. qui iussis ocyùs ipsis,

Nempè

Nempè recens victor, gestis felicibus audax,
Bistonas aggressus; per circumstantia tela,
Confertosq; hostes. gladio certante, manuq;
Belligera confecit opus. dùm cœdibus intrò,
Per strages validas perrupit; & hostibus ægrè
Elapsis, Turcas cedentes, arceq; clausos,
Casibus inuoluit fatalibus, vrbe potitus.

27. 8bris Strygonium expugnatum in potestatem venit.

Thrax extrema sibi cernens occurrere fata,
Defensus virtute loci; feralia mortis
Eligit, & sua busta pati. ni dextra JOANNIS
Regia succurrat; cui se submittere soli,
Augusta recipiq; fide placet. indè receptis
Principis arbitrio Turcis, victoria plena
Successit, rediitque sacris arx dedita rursum
Fascibus Imperii. Geticas deduxit ad Istrum
Mars Lechicus turmas; quæ prono flumine Budam
Descendêre, vicesque malis auxêre dolendas.

Arx munitissima, in fidem Regis Poloniæ, à Turcis dedita

Nec sua Vezyro mens tantis cladibus icta,
Ampliùs hic immota stetit. fremit, & dolet, & se
Lancinat infami probro, Budamque relinquens,
Excors, & sine mente ruit; quò pœna scelestum,
Et Nemesis vindex, furiis vltricibus egit.
Bosphorus ingemuit, fundo concussa Propontis
Horruit ad tantos casus, fluctuque resedit
Composito; dùm Byzantina palatia squallent;
Formidatus apex Thracum dùm nutat, & hæret,
Vimq; Asiæ metuens, damnat sua vota Philippis.

Vezyrus Budâ profugus excedit.

Motus in Oriente.

Strymona sic agitant fluctus. Sed Victor ad Istrum,
Mars Lechicus, Patria rursum virtute triumphat,
Principis excelsi genio, ductuque IACOBI;
Qui Zaporouii cordato militis ausu,
Adiunxit Setino capto, palmare trophæis
Sarmaticis specimen. Magno quantùmque Parente
Profecisse datum, summa virtute probauit.
Sicque coronati Patris, inter maxima gesta,
Filius est factus, rerum speciosa coronis.

Serenissimi Iacobi, ductu, & auspiciis, Setinum captum.

TRIVMPHUS AVGVSTISSIMVS,

Sereniſſimo, & Inuictiſſimo

JOANNI III.

poſt attritas, & triumphatas,
Otthomannicæ potentiæ,
in Auſtria, & Pannonia vires;
poſt ſeruatam rei Chriſtianæ ſalutem,
relataſq; ex inimicis Crucis Chriſti, inauditæ victoriæ manubias,
& erecta trophæa;
ab vniuerſo Orbe Chriſtiano decretus,
& ad ritum priſci ſeculi

DEDVCTVS.

HActenus Te bellatorem cecini,
O REX!
nunc Triumphatorem Orbi ſiſto,
ea maieſtate;
quâ cùm Cæſares defendis, viciſti Auguſtos,
triumpho ſanè auguſtiſſimo;
in quo maximus omnium applauſus,
ſilentium Orientis.
Admiranda geſtorum Tuorum,
ad Muſarum inprimis numeros coegi;
vt ſudoris Tui bellici gemmas, ſeriò computarem;
dignas vtiq; numero, quarum inæſtimabili pretio,
ſeruata eſt Orbi Chriſtiano,
gemma Auſtriæ, & corona.
Sed ad triumphalia Tua, & leges, & numeros ſoluo;
vt triumphet tecum lætitia publica,
ſine menſura, ſine modo.

Non

Non caneris mihi ampliùs, numeris adstrictus;
qui Viennam obsidii sui tædia numerantem,
non passus es numeris, vt cancellis adstringi;
nimirum, vt in libertatem asserta, dùm ex angusto soluitur,
deberet Tibi Principi libertatis,
augustas sine numero palmas.
Ibis iam liber,
dicerisque à me, sine Pòëmatis compede;
quia per Te ô REX!
Dominus soluit compeditos.
Quanquam res propè ad stuporem,
cogitanti aliena vincula, vt soluerentur;
quomodo sacri fœderis vinculo, captiuari placuit?
an vt vinceres, vinciri Te primùm oportuerat,
non alias triumphaturum, nisi sic Deo, & fidei vinctum.
O felix Religio!
quæ sic religas, & stringis eos; qui Tibi vinctas dedêre manus;
vt eas Orienti iniicerent;
nodumque Austriæ Gordium, Macedonis soluerent Ense.
Soluisti ô Asiæ, Pontique terror
Magne REX!
arcano diuinitatis, quod nulla secula resoluent,
ænigma intricatissimum;
Viennam sub cortina hærentem;
cuius funiculum cùm nemo rumperet; nemo prædiceret sortem;
acinacem Tuum fecisti Oedipum;
& IOANNES in virtute Heliæ,
Prophetas Otthomannici Baal, à mane vsq; ad vesperã clamantes,
triumphali de cælo igne combussisti.
Pro cruore igitur purpuram sume;
pro sago trabeam, pro cuspide sceptrum;
frontemque augustam, ex qua non vnus deciduus sudor,
Erythræos vicit vniones,
coronamento gloriæ præcinge.
Puluerulentus ille, Regalis paludamenti Tui,
inter cruenta prælia horror,

 in Chri-

in Chrysoclauum mutatus,
spectatissimus Orbi, & totus verè aureus prodeat;
quia & Tu ab aureo seculo Princeps;
qui momentò ad Viennam, mutasti ferrum in Obryzum,
catenas in armillas; cauernas obsidionis,
in aureæ libertatis fodinas.
Africanos, Macedonicos, Asiaticos,
secutus es virtute, & rerum gestarum magnitudine;
sequere & speciosissimæ pompæ apparatu,
Pannonicus, Scythicus, Otthomannicus,
sed Tui inprimis maximus Victor;
qui vt hostem spe affectatæ victoriæ exueres,
Teipsum affectu mariti, & Patris exuisti;
progressus ab amoris in rem Christianam excessu,
ad excessum inauditi triumphi;
quem Tibi ad ritum prisci æui instituimus;
vt cùm omnes, seculi Tui viceris Bellatores;
vincas & triumphandi ritus;
solaque par sit,
quæ Te seculis omnibus visendum exhibeat,
Roma quondam in flore,
nunc tota in triumphi Tui
MAIESTATE.

I.
ÆDES BELLONÆ,
in qua de iure triumphantiũ decernebatur.

Hic Te primùm ô REX!
in æde bellatricis Deæ Orbi sistimus;
quæ in suburbano, Vrbis Dominæ gentium,
coacto Senatu, de iure triumphantium censebat.
Ædes Bellonæ Tibi,
Orbis Christiani Pantheon maximum;
in quo si rogentur de Te sentẽtiæ, omne laticlauiũ pro Te concludet,
etiam iura triumphantium Te vicisse;

cùm

cùm ius dixeris Orienti;
cui per iniurias gentium, sacra, si Diis placet, ad tyrannidem via,
rursus eadem, iustum præcipitium tyranno.
Testari de Te,
Legatos, Tribunos, Centuriones,
& de operibus Tuis magnificè disserere
non est opus;
cùm vt triumpho augustissimo in Orbis faciem,
& in seculorum memoriam eas,
conuincat,
Oriens victus, Occidens attonitus,
gestorum Tuorum
& Testis, & Panegyris.

II.

Decreto triumpho Occursus maximus.

Non Magistratus, nec tribus obuiæ, aut Flamines in purpura.
Viri triumphales, cunctaq́, nobilitas tantùm;
sed ocurrit Tibi ô REX!
quicquid vspiam gentium est, quæ Christo nomina dedêre;
& quibus Latium in fide Augustum.
Flaminis in Orbe Supremi,

Innocentii XI. Pontificis Max:

& Purpurati Ecclesiæ Senatus,
nisi Tibi paterent, nisi extra se prodirent viscera;
viscera Christianitatis non essent;
nec fidei haberent animam, & medullam;
quinimò sic Te ambiunt, sic Te depereunt;
vt iam non animent, vbi sunt; sed vbi amant;
nimirùm in Te,
ô Christianorum Exercituum anima!
actusque non signatus tantùm, sed etiam exercitus;
qui Turcarum exercitio docuisti;
non vbiq́, immani Encelado, Vastam animam esse.
Imperator Occidentis,
Augustissimus LEOPOLDUS,

quo Te occursu triumphantem exceperit;
quàm in cor admiserit profundè;
brachia illa, dulcesq; complexus, arcanum suum norint;
quo idioma Principum loquitur, maiestatem sine pompa.
Regum, Principum, Dynastarum Europæ,
throni, & animi coronati, eunt Tibi obuiam;
motu illo, graduq; quo Cælestia feruntur ab intelligentijs mota.
satis est cogitare de Te,
& intelligere, quantùm pro re Christiana egeris;
& iam prona sunt omnia, in venerationem Tui, & amorem;
quæ Tu, etiam contra successionem signorum ire permittis;
vt liberè agant triumpho maximo;
in quo ad Orbis frequentiam, & animorum occursus,
Porta Tibi triumphalis,
Herculeo per Te robore, & tremore gentium,
mota cardinibus suis,
Otthomannica Porta.

III.

Montiũ, fluminum, Ciuitatum, Præliorum Simulachra.

Si Massiliam, Rhenum, Nilum, Rhodanum ex auro,
& fatum ex ebore Cæsar;
si centum triginta oppidorum, Scipio Asiaticus,
Speciosissima in triumpho simulachra,
cùm inferret in Vrbem; hausisse oculos, & corda potuit;
nesciente Roma, an cor sibi in delicijs,
& in gaudio publico superesset.

Tu certè Rex Auguste,

hausisti omnia, & in delicio publico,
etiam spirituum cordis officinam obsignasti;
vt nemo respiret, nisi in Te; nemo videre ambiat,
nisi quod Tu visendum, seculis omnibus exegisti.

Aurum, ebora, gemmæ,

Orbem propè deficerent;

Si Praxi-

Si Praxiteles, Phidias, Myron, gestorum Tuorum,
integris elaborata seculis prodigia,
Stupori publico darent.

Regem fluuiorum Danubium,

quem non vna Otthomannica cæde cruentasti;
Viennam Austriæ,
quam Minotauro Asiæ, offam propè ambesam eripuisti;
Montem S. LEOPOLDI;
ex cuius angustijs in aciem, bellator Augustus, prodijsti;
conflictum Viennensem, & Strygoniensem;
quo omnis æui certamina ad æmulationem prouocasti,
Magnificentissima Tibi simulachra,
Orbis Christiani brachia supportant, & eò inferunt;
quò non intrant; nisi qui ante victoriam, vicêre seipsos.
Eorum Tu portio maxima,
iuisti contra sensus, & susurros tutiora suadentium.
& per calcata trepidantium simulachra,
meruisti; vt duceres in triumpho,
non montes Pompeij gemmeos; nec simulachra gentium,
argentum, & aurum, opus manuum hominum;
sed victoriæ Tuæ, opus sane diuinum;
quo factum est in vno Schemate Viennensi;
vna die ostensum, eadem oculis subductum,
Velum Timantis,
IMPERIVM Orientis.

IV.

Currus Aurei, & Argentei.

Falcatos currus in prælijs, ad excidia gentium,
mors exquisita inuenit;
cui non suffecerat metere capita gladijs,
figere pectora telis;
nisi inanimatas quoq; in vehiculis falces, rotis pernicibus,
humanas animasset in cædes.
Cladibus hæc rotantur, & per atrocia decurrunt;
sed currus aurei, & argentei,

qui triumphantium ritus auguſtos præcedunt,
felicitati publicæ ſeruiunt;
vt ex hoc eſſedo, intelligat Orbis;
Phaëtontes quidem, præcipitare in bellis mortem;
Soles imperiorum, per Zodiacum vitæ,
curru aureo vehi.
Ex hoc metallo, triumphalem currum Tuum præcedunt,
pretioſa lucis tuæ vehicula,
rei Chriſtianæ Sereniſſime ſplendor,
Rex Auguſte IOANNES.
Non nauicula, ſed currus aureus,
fortunam in Te Cæſaris extulit, & produxit in Orbem;
tam coronatam, tam auguſtam;
ceu nunquam periclitata, ſupra omnem fati aleam ſtetiſſet.
Religio, & ſalus publica,
per Te in campis Viennenſibus triumphans,
Olympia Tua celebrabit æternùm;
in quibus, Chriſtianam quidem veſtigijs aureis,
tramite cruento, Otthomannicam ſortem, ſic rotaſti;
vt circuitum gloriæ Tuæ,
ſola nonniſi definiat, ſola cælis inferat;
quæ pro Te nunquam volui deſinet,
Aurea ſeculorum,
& Gloriæ Rota.

V.

Spolia hoſtium, & Captiua arma.

Vorago Orbis in vna vrbe,
nec ſatis emenſum, Orientis & Occidentis profundum,
bellorum ingentia fecerant, victorijs coronata.
Ad ſeptem colles redactum fuerat,
quicquid vſpiam, promiſcuam gentium plebem,
coronatis faſtigijs exceſſit.
cliuuſq; Capitolinus non tam mole ſua viſendus;
quàm per aceruos ſpoliorum, in immenſùm aſſurgens,

etiam

etiam ſibi ipſi oneroſum aliquando, productiq; ad faſtidia imperij, prodigiale extulerat caput.
ſed fuerit voragini huic, ſitis inexplebilis;
Tibi mens auguſtiſſima,
manubias omnes, & ſpolia hoſtium,
in ſolo ponit Victoriæ fructu;
quo cauſa DEI triumphans, & barbaries triumphata,
Trophœum Tibi maximum ſurgit,
REX INVICTE.
Deducta quidem ex toto Oriente,
vis immenſa Otthomannicæ potentiæ;
auri, argenti, & gemmarum pondere onuſta;
armis, & ſpolijs inaudita; vindicatis ab hoſte captiuis,
& captis hoſtibus numeroſa;
caſtrorum ſitu, & apparatu, vſq; ad horrorem extenſa;
rei bellicæ neruo, vix non ſupra fidem inſtructa;
ceſſit in ſpolium Chriſtianæ militiæ;
ſed nihil in hoſtium catenis, dulciùs Tibi inſonuit;
quàm libera Vienna,
& Orbis Europæus ſine compede, ſine metu.
Caſtra ſua fecerat Vezyrus,
Emporium Orbis;
vt ſi vinceret, egere ſpolijs non videretur;
ſi caderet, non caderet ſine pompa.
Ecce cecidit, ante Arcam Dñi Exercituum,
totus quidem aureus Dagon;
ſed totus in ſpolia comminutus;
vt alibi caput, alibi pedes, & manus,
in ictu oculi dùm ſoluuntur;
noſceret immane Orientis Idolum;
aliud eſſe veram Maieſtatem,
& aliud Pompam.

VI.

Coronæ aureæ, à Prouincijs, & Ciuitatibus dono missæ.

Nulla iustiùs, inuictum caput, decora ambiunt;
quàm per mille discrimina, & cruentas mortes quæsitæ,
sine ambitu coronæ.

Pulcherrimæ olim apud Persas ex sagittis,
ante frontem spiculis ambientes, quàm gemmis;
vt cui densissima periculorum nubes incubuerat;
in eum, iustissima quoque gemmarum deplueret grando.
Triumphantium hæc coronamenta,
sæpiùs Victoribus Romanis dono missa,
emeritum fulgur in auro, ijs prætulerant;
quibus æreæ cassides, non vno ferri gemuêre sub ictu.
Victricesque ex auro coronæ,
octingentæ interdùm, & vsque ad duo millia aliquando,
Romæ in triumphis visæ,
certaverunt in vnius capitis honorem;
non sufficiente quidẽ, tot simul ornamentis, triumphantium vertice;
sed virtute capaci;
quæ nunquam apud homines coronabitur in excessu;
cùm quiduis mortale excedat, immortalium capacissima.

Quidni ergò & Tuæ,
Regum fortissime,
bellorum ingentium capacissimæ virtuti,
coronarum ex auro ingens sit capacitas?
qui in conflictu Viennensi vicisti coronas;
quotquot illas Otthomannus,
tot Regnis, & Imperijs per Orientem decussas,
vnâ quasi, grauidæ potentiæ fasciâ ligat.

Quicquid ille per Asiam, Africam, Europam,
& per fragmenta tot imperiorum, & gentium;
indulgentiâ fortunæ congesserat;
vt Myriadas opum turpiùs relinqueret;
Tibi seruiit ad coronas,

non

non dono missas; sed augusti impendio sanguinis partas;
vt qui fueras Christianitati, turris fortitudinis,
ex qua mille clypei pendent;
fieres coronatum Europæ caput;
cui non mille tantùm, sed debentur
quot seruatæ animæ;
tot Coronæ.

VII.

Victor Exercitus, cũ donis triumphalibus.

Spectaculum Orbi nullum gratius;
quàm ante Imperatorem belli, copiæ militares,
spectatissimæ virtutis meritò coronatæ.
Alæ, Turmæ, Cohortes, Legiones,
pro Regum purpura, hostili murice tinctæ,
in conchyliis Principum magnificentiùs rubent;
quia pro ijs vulnera non erubescunt.
Coronæ Ciuicæ, Murales, Vallares, Obsidionales,
armillæ, torques, balthei,
& vniuersa Martis decora,
Sanguine parantur, hiatu vulnerum, & anhelitu mortis;
per quæ ad triumphos, quisquis non anhelat;
herbam porrigit hosti, & molles vnguentarios olet.
Victor Exercitus, deliciæ spectantium,
antequã ad hæc oblectamẽta veniat; sub incude mortis horrid⁹ tot⁹,
Speciem, & gratiam non habet; taboq́, & sanie madet;
vt speciosissimum Imperatoris sui antecedat triumphum.
Hac Te Maiestate,
in Capitolium gloriæ deducit,
militaribus coronis, & donis spectatissimus, Victor Exercit⁹ Tu⁹,
Inuictissime IOANNES.
Quidquid cordatissimæ animæ, & ex ipso viscere Martis natæ,
potuêre vnquam in bellis;
hoc ductu Tuo, & exemplo maximo,

 In Ia-

in Iablonoviis, Sieniaviis, Pottociis, Lubomirsciis,
& aliis Heroibus Polonis,
virtus inaudita, vſq; ad ſtuporem expreſsit;
Marathonem, Leuctram, Mantinæam, Thermopylas,
& quidquid vſpiã pugnaciſsimo auſu, & geſtis triũphalib⁹ celebre,
ſeculis omnibus memoratum,
in vno opere abſoluens; quod tam auguſtè, quàm geſtum eſt,
vt in Orbem prodeat;
grãdis cogitatio, & vix eluctabilis, etiã sũmis ingeniis lucta reſtat;
quamuis tollant manum de tabula nunquam.
Gigantomachia olim, Centaurorumq;, & Lapitharum pugna,
In Scuto Achillis, ſcitè admodùm expreſſa,
commentum fuerat, & priſci ſeculi vmbra.
In Clypeo Tuo ô REX! ſub eoq; quod geſtum,
Victoris Exercitus Tui, lux & veritas Tecum
ſic reuelat;
vt quamuis in panegyres, & coronas militiæ,
Orbem totum euiſcerari oporteret;
Dentati Sicinii, Mutii, Decii, Scæuæ,
adhuc nec donati ex æquò, nec triumphalibus laureis
coronati ex toto ſupereſſent,
maximo omnium, & auguſtiſſimo triumpho;
quod ſub Te Bellatore, triumphales militantium animæ,
exceſſu virtutis, & gloriæ,
decora omnia ſupergreſſæ, potuerint in ſummo,
ipſam etiam Victoriam
Viciſſe.

VIII.

Ipſe tandem triumphans, curru aurato ſublimis,
Cæteris auguſtior, & Magnificentior, coronatus in Purpura,
ſpecioſiſſimum claudit triumphum
Sereniſſimus, & Inuictiſſimus
IOANNES.
Hùc oculi Orbis, hùc pupillæ omnes,
corporum, & animorum conuolate;

ſpecta-

ſpectaculo veſtro, an delicio?
vtrumq; certè habituræ,
in Auguſtiſſimo Triumphatore
Sereniſſimo IOANNE;
qui curru iam triumphali inuectus,
magnificentiſſimi Operis,
Portas triumphales ſubintrat.
Argi omnes centoculi,
ô animi plaudentium, & occurrentium eſtote!
quantò profundiùs in hanc maieſtatem ituri;
tantò experturi magis iubar inſolitum,
quod in hoc vultu renidet;
cui Dominus addidit gratiam; vt triumpharet
rei Chriſtianæ, & omnium in Europa animorum,
gratia, delicium, triumphus.
Purpura illi quidem cruenta;
ſed tantò auguſtior; quod confeſſione virtutis exprimat,
Orientis ruborem;
parata etiam proprio ſanguine tingi; niſi aliter,
effrons in Otthomanno faſtus, ad probra ſua erubuiſſet.
Currus illi Triumphalis,
non Numidicos Leones, non Elephantos ab Indis iungit;
nec immanes Seſoſtris, aut Tygranis habenas;
quæ Reges, ad nefandos currus, fecêre iugales,
ritu barbaro oſtentat;
ſed trahitur dulcedine tota, brachiiſq; ſupportantium,
onus auguſtum quidem, ſed ſuauiſsimum;
cui quadrigas niue puriſsima lauit,
intaminatus ſinceriſsimæ lætitiæ candor.
Ponè captiui nobiles, & Duces hoſtium vincti;
Magnus quidem Vezyrus, non vinculis, ſed animo captus,
Veſpillo ille magni ad Viennam cadaueris,
Polyphemuſq; Thracum, ſeruatus dedecori ſuo;
vt molam continuò Siſyphus verſet; fœdoq; vulturi ſuperſit,
nouum ſemper ad vulnera iecur.
Sed hæsêre pro eo, Otthomannica ſeruitia,

copiarum Duces, Præfecti Prouinciarum,
Cohortium Prætorianarum Tribuni,
pars cœsi, pars in vincula ducti;
quorum indomitam barbariem, Principis clementia vicit;
vt iam non pudeat sic captiuari;
vbi vel ipsa captiuitas, sub tanto Victore, est triumphus.
Ita certè
coronatus in purpura,
curru Tuo triumphali, dùm proueheris
Serenissime IOANNES;
vt candida apud Tuos niteant omnia,
etiam in hostibus non-pateris cruenta.
iamq; classica in celeusmata, buccinas in cytharas vertens,
audiris in Orbe, dulcis tot gentium harmonia,
& vnus omnium concentus.
Spargunt Tibi per Sacram viam,
quæ Te ad Vauelanum Capitolium ducit,
deciduos populi flores,
accendunt thymiamata, Sabæorum myrothecia fundunt;
omnia prisco ritu maiora;
nam & Tu, cum rarissimis aui illius comparandus;
inter odoratissimam immortalis gloriæ suaueolentiam,
factus es Bellatorum seculi nostri
P H OE N I X.
Sed Coronam triumphalem,
vt iam in gremio Iouis Capitolini deponas,
mos triumphantium vrget.
Ecce Imperij Christiani Stator;
regnans, & triumphans à ligno Crucis DEVS;
ecce Sacratissima vulnerum eius Cella!
gremium vtiq; pro Corona Tua augustissimum;
in quo vt auspicia belli cœperas;
sic & prosperos euentus depone, & consigna.
Hoc Tibi gremium,
mille osculis deuotissimis aperuit,
Serenissima MARIA CASIMIRA,

Conso-

Conſors Tua Auguſta,
& pugnante contra Maxentios Conſtantino,
verè ſeculi noſtri Helena;
toto hoc tempore, quo inter horrida Martis egeras,
non alibi dulciùs verſata;
quàm inter ſentes horridos ſpinarum, & lanceam Chriſti;
vbi vigilauit ad oſtium amoris eius, in vulnere cordis;
ne Religionis, & Eccleſiæ cauſa,
in Te Orbis Chriſtiani corculo,
fieret vulnerata.
Fuerit ergò Romæ, poſt depoſitam in gremio Iouis coronam,
datum ad hilaria Urbis, & publicè inſtructum
Epulum magnificentiſsimum.
duobus & viginti millibus tricliniorum aliquando,
à Iulio Cæſare appoſitum:
Tu Orbis Chriſtiani menſa deliciarum,
guſtus maximus, & vniuerſa voluptas;
qui exundante lætitia animos impleuiſti;
& factus es omnibus in nectar, & ambroſiam;
cùm epulo Otthomannicus, per Te ad Viennam, & Strygonium,
ſinapi momordit;
glutiitq; ſaliuam, cùm amiſerit offam.
Ita Tibi, & aurum Coronarium,
Triumphantibus deferri ſolitum,
etiam cum ipſis, aureis mentium donamus fodinis;
diemq́; tantæ Victoriæ, auro incidimꝰ; vt ſacra deinceps, & memo-
Virtutem dexteræ excelſi, quæ tecum fuerat, *[rabilis,*
ſeculis omnibus loquatur.

Hîc inter arcus triumphales,

Septizonia, Coloſſos, Obeliſcos,
Supremus triumphantium honos
Statua,
concludit Auguſtale Triumphi Tui;
non ære Corinthiaco, ſed metallo Principe fuſa;
cui decretus in Orbe locus;

vbi totus in fastigio Europæ oculus,
rapitur in vnum; quia ſpecie humana maiorem;
nempe Hominem à DEO miſſum;
vt gentibus, quæ os ſuum in Cælo poſuerant,
in ſpecie Columbæ oſtenderet ad Viennam,
vbi DEVS.
qui in hoc Aureæ monumento Statuæ,
coram Orbe attonito, ſtabit dulce, & perenne ſpectaculum;
Victoriæ inauditæ, exemplum ſine exemplo;
dicendorum de ſe,
panegyris, & Silentium;
Scutum, & antemurale Chriſtianitatis;
gemitus Orientis,
Occidentis Triumphus;
vel hoc ipſo Regum Maximus;
quod etiam Coronati Capitis ſui diſcrimine,
minui potius optauerit;
quam Chriſtum non creſcere
IOANNES.